

Inventarii. Julius Clarus in §. fin. quest. 36. num. 45. Donatus prax. rerum Regul. tom. 2. tractat. 3. quest. 13. num. 13. Sporer loc. cit. num. 104. & alii communiter.

70 Si vero post ingressum, & professionem occasione ejus monasterium acquireret aliqua bona verb. grat. per successione hereditariam, per legatum, donationem, & hujusmodi, tunc monasterium teneretur ex illis satisfacere pro debitis prius contractis; arg. citat. cap. Si qua mulier 9. caus. 19. quest. 3. leg. Deo nobis 56. §. 1. Cod. de Episc. & Clericis. Donat. loc. cit. n. 14. Sporer loc. cit. num. 105. Sanchez lib. 7. decalog. tom. 2. cap. 31. num. 4. Lugo loc. cit. num. 79. & alii passim; Bona enim Religiosi, vel Jura ad ea, quae obveniunt, ita transeunt in monasterium media persona Religiosi, ut transeant cum onere, quod ea habuisset Religiosus; habuissent autem annexum onus restituendi, si mansissent in potestate, & dispositione Religiosi, adeoque monasterium tenetur ex illis satisfacere pro debitis prius ab ipso Religioso contractis, cum qui sentit commodum, sentire debeat & incommodum; leg. Si merces 2. §. 6. ff. Locati; cap. Qui sentit 55. de Regal. Juris in 6. Item propter eandem rationem tenetur monasterium solvere dicta debita prius contracta ex eis, quae Religiosus monasterio acquirit docendo, concionando, laborando, & hujusmodi, deductis tamen expensis. Sanchez loc. cit. num. 4. Lugo loc. cit. n. 79. La Croix loc. cit. num. 447.

72 Hinc Religiosus debitor, salva Ordinis regula, si possit artificio aliquo, vel manuum labore aliquid lucrari, tenetur sic laborare operibus suo statui, & conditioni praesenti convenientibus, ut pretium laboris impendat ad solutionem suorum debitorum; dummodo per hoc non negligatur divinum obsequium; cap. Clericus distinct. 91. deductis tamen expensis, ne sit onerosus monasterio; cap. De lapsis 5. caus. 16. quest. 6. §. Raymundus l. 3. Summ. in titul. de Curialibus, & obligat. ad ratiocinia §. 5. vers. Pone aliquem: Sporer loc. cit. num. 106. Lugo loc. cit. num. 81. Henno loc. cit. disp. 5. quest. 5. conclus. 2. cum aliis ibi citatis. La Croix loc. cit. num. 448. cum Navarr. Medina, & aliis ibi citatis; Layman cit. cap. 22. num. 5. & alii contra alios.

73 Religiosus debitor excusatur, si superior neget ei licentiam ad id laborandi: Nec tunc tenetur egrediēte religione, quamvis sit spes probabilis sic satisfaciendi, n. g. per provisionem beneficij, parochia; & hujusmodi, ut tenet probabilior, & communior sententia cum La Croix loc. cit. num. 449. loc. cit. num. 177. & aliis contra alios.

74 Superior autem tenetur concedere licentiam honeste laborandi Religioso debitori, ut sic possit sua debita solvere, si scienter debitis gravatum ad religionem admisit quia ex tunc censetur sibi illam obligationem imposuisse; Secus autem si ignoratis ejus debitis, ex quo ea occultasset, vel negasset, ad habitum, & professionem admisit; tunc enim non teneretur talem licentiam concedere ex justitia, quia Superior nihil debet creditoribus, & potest pro libito de Religioso tamquam totaliter suo disponere abstrahendo, an opera, quibus ipsum applicat, impediunt solutionem, nec ne. Immo si subditus ex laborio occulto sine licentia saltem praesumpta Superioris satisfaceret creditoribus, fur esset, & latro, cum restitueret ex alieno, quia quidquid acquirit Monsachus, acquirit monasterio; c. Statutum 1. caus. 18. quest. 1. cap. Abbatē 16. caus. 18. quest. 2. cap. Quia ingrediētibz 7. caus. 19. quest. 3. cap. In praesentia 8. de probantibus; Si tamen Superior possit concedere talem licentiam sine ulla indecentia, & incommodo Religiosis, videtur ad id teneri ex charitate, ne creditor careat suo debito; Henno loc. cit. conclus. 2. La Croix loc. cit. num. 450. cum aliis ibi citatis.

75 Excommunicatio creditoris, vel debitoris non excusat à restitutione faciēda; Communis contra paucos. Et quidem non excusat excommunicatio creditoris, quia licet negetur ei actio judicialiter petendi; c. Pia. 7. de exceptioibus in 6. tamen permittitur privatim petere,

nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas, vel magna utilitas, ut patet ex cap. Quoniam multos 103. caus. 11. quest. 3. sicut enim potest ipse libere communicare cum domesticis suis, cit. cap. Quoniam multos, cap. Inter alia 31. & cap. Si vere 34. de sentent. excomm. Ita etiam communicare potest cum suis debitoribus; & idem in cit. cap. Si vere: permittitur ipsi absolvere contractus inchoatos. Nec etiam excusat à restitutione faciēda excommunicatio ipsius debitoris, textu expresso in cit. cap. Si vere; Excommunicatus enim cogi potest comparere in Judicio per Procuratorem, ne videatur de sua malitia commodum reportare; cap. Intelleximus 7. de Judicis, leg. Non fraudantur 134. ff. de Regul. Juris §. 3. adeoque, &c.

An, si debitor morte plectatur, excusentur ejus haeredes à restitutione damni causati per delictum, ob quod fuit ultimo supplicio punitus? Vide supra art. 2. numer. 39. & 40.

Agit Auditor, licet caute legendus, in quinque hisce articulis de materia restitutionis accomodate magis ad forum poli, quam ad forum fori, ut ajunt. At si cupias, qui de hac ipsa materia utiliter ad forum fori agat, consule opus de eo quod interest, quod nomine Gaspari Manzii, & Friderici Martini, Ingolstadii anno 1305. typis Francisci Straus evulgavit Philippus Jacobus Krazer. Totam enim materiam hoc in libro adeo solide tractatam invenies, ut nihil fere ad ipsam spectans desiderare possis. ¶

RESTRICTIO MENTALIS.

SUMMARIUM.

- 1 Restrictio mentalis est duplex, una pure mentalis & alia non pure mentalis, & quae sit utraque, remissive.
2 Amphibologia, seu aequivoçatio quid sit.
3 Restrictio pure mentalis, & amphibologia, seu aequivoçatio facta per restrictionem pure mentalem, non excusat à mendacio, & perjurio.
4 Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, & amphibologia, seu aequivoçatio per verba, aut signa externa per se aequivoçata, excusat à mendacio, & perjurio in omnibus casibus in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum, ad occultandam veritatem.
5 Hinc Confessarius, quomvis interrogetur à Tyranno, an aliquid sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali, de peccato Penitentis? Poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente ad dicendum.
6 Sic Secretarius regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibologia, aut aequivoçatione, vel restrictione non pure mentali, etiam cum juramento. Idem dicendum est de Uxore adultera à marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, & sic de aliis similibus casibus.
7 Ita qui ex praesumptione falsa interrogatur à Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiae non tenetur, nec negando cum juramento pejerat.
8 Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest se inde non venire, subintelligendo eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto; Immo, secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione.
9 Item si Clericus, vel Religiosus sit coram Judice seculari conventus: non solum ipse pro se, sed etiam alij pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse uten-

utendo hac restrictione, ut coram tali incompetente Judice deponi debeat; Item si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta à gabellis solventis interrogetur à Gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabelle obstruendum? Jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione, Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam.

- 10 Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione.
11 Quomodo excusentur Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit.
12 Reus an, & quando teneatur, vel non fateri veritatem Judici ipsum interroganti cum juramento ad n. 14.

Restrictio mentalis est duplex; Una pure mentalis, & alia non pure mentalis, & quae sit utraque? Vide verb. Juramentum art. 1. à num. 14.

Amphibologia, seu aequivoçatio proprie est locutio, quae sua significatione generat in audiente conceptum diversum ab eo quem loquens retinet in mente; Est in re Communis.

Restrictio pure mentalis, & amphibologia, seu aequivoçatio facta per restrictionem pure mentalem non excusat à mendacio, seu perjurio; Communis, & habetur clare ex tribus sequentibus propositionibus 26. 27. 28. in ordine justissime damnatis ab Innocentio IX. die 2. Martii 1679. Proposit. 26. Si quis, vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Propos. 27. Causa justa utendi bis amphibologus est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Propos. 28. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, & amphibologia, seu aequivoçatio per verba, aut signa externa per se aequivoçata, excusat à mendacio, & à perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandam secretum. Vide verb. Juramentum, art. 1. num. 13. verb. Mendacium num. 21. & 22.

Hinc Confessarius, quomvis interrogetur à Tyranno, an aliquid sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali de peccato Penitentis, poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente ad dicendum. Vide verb. Juramentum art. 1. num. 15.

Sic Secretarius regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibologia, aut aequivoçatione, vel restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera à marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, & sic de aliis similibus casibus. Vide ib. num. 16.

Ita qui ex praescriptione falsa interrogatur à Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiae non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. Vide ib. num. 17.

Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus? jurare potest se inde non venire subintelligendo eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto. Immo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione.

Item si Clericus, vel Religiosus sit coram Judice seculari conventus: non solum ipse pro se, sed etiam alij pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse uten-

traxisse, adhuc jurare posset, non transisse utendo eadem restrictione. Vide ib. num. 18.

Item si Clericus, vel Religiosus sit coram seculari Judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, ut coram tali incompetente Judice deponi debeat. Item si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta à Gabellis solventis interrogetur à Gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabelle obstruendum? Jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione: Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam. Vide ib. num. 19.

Monitum Romani Censoris praemittendum verb. Restrictio in hac novissima editione.

Facilem se praebere Auctorem nostrum in aequivoçationibus, restrictionibusque mentalibus indulgentibus, mediis quibusdam distinctiunculis eo dumtaxat tendentibus, ut propositionum hac de re damnatarum censura eludatur, ex variis locis hujusce Bibliothecae ingenio Lectori plene constat. Nos ne maneri nostro deesse videremur, ubicumque hanc doctrinam christianae simplicitati minime consentaneam tradi perperisimus, illi debitis animadversionibus occurrere studuimus, ut verb. Accusatus à num. 18. ad num. 24. ac in notis ad num. 28. & ad calcem Articuli, nec non verb. Juramentum in not. ad num. 26. itemque verb. Mendacium in not. ad num. 21. Eandem doctrinam adstruere conatur idem auctor in universo fere hoc articulo, quem si emendare aggredieremur, totum illum reformaremus, oporteret opus sane supervacaneum. Lectores itaque dumtaxat monemus, ut caveant à sententiis ibi expositis à num. 4. ad num. 9. nec minoris cautela legendum esse scias sequentem articulum Reus.

Nota Nihil unquam excusat à perjurio: Quare nec etiam admitterem, posse Secretarium regni juramento uti in casu proposito num. 6. Idem dicto de casibus num. 7. 8. & 9. enodatis.

Sed hic recurrit pro me responsio mox num. 56. data, ut videantur pro dictis meis assertionibus allata solida fundamenta sub verb. Accusatus à num. 10. ad 43. & sub verb. Juramentum à num. 13. ad 26. & Scotus in 4. dist. 15. quest. 4. art. 3. & cum aliis Mastrois theolog. moral. disp. 10. in quest. 9. art. 1. num. 171. & 172. & disp. 6. quest. 2. art. 3.

Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. Vide ib. num. 20.

Quomodo excusentur Mercatores, quae dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? Vide ib. num. 21.

Reus an, & quando teneatur, vel non, fateri veritatem Judici ipsum interroganti sub juramento? Vide verb. Accusatus à num. 10. ad 43.

Affertur, & solvitur instantia. Vide dict. verb. Juramentum, art. 1. num. 23.

Affertur, & solvitur alia instantia. Vide ib. num. 24. 14. & 25.

RETRACTUS GENTILITUS. Vide verb. Emptio, art. 4. à num. 26. ad 42.

REUS.

SUMMARIUM.

- 1 Reus unde dicatur, quid probare teneatur: quis favor in re obscura: quam obligationem habeat circa scripturarum exhibitionem: ubi conveniendus: quid si non reperitur: quid si convictus: an alium possit accusare, ad num. 10.
11 Juste damnatus potest rejicere victum, ut fame pereat: an licite possit fugere: utrum auxilium ei valeat impartiri, ad num. 21.

22 Quando iudici teneatur fateri veritatem, & quid in hoc eis liceat: afficiendi ultimo supplicio Viaticum sunt assumpturi: Extrema Unctio non administranda: complex an revolvendus, & qualis reus in fraganti, ad num. 43.

44 Additiones subnectuntur.

1 Reus dicitur a re, quae petitur, textu expresso in cap. Forus 10. de verb. significacione, ibi: Reus a re, quae petitur, nuncupatur, quia quomodo conscius sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quamdiu in iudicium pro re aliqua petitur.

2 Reus non tenetur probare quod negat, sed Accusator; cap. Quod autem 1. cap. Accusator 2. caus. 6. q. 5. cap. Bonae memoriae 22. de electione; leg. Et incumbit 2. ff. de probationibus, leg. Auctor 23. Cod. de probationibus, cum similibus.

3 Reo potius favendum est, quam Actori, si Jura sunt obscura, textu expresso in cap. Cum sunt 11. de Regul. Jur. in 6. ibi: Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori, leg. Favorabiliores 125. ff. de diversis regulis Juris, ibi: Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur.

4 Reus non tenetur dare Actori suas scripturas contra se, textu expresso in cap. 1. de probationibus, leg. Qui accusare 4. Cod. de edendo. Non enim Juris, aut aequitatis ratio permittit, ut quis invitatus arma, quibus impugnatur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur; leg. Nimis grave, Cod. de testibus. Vide verb. Probatio ad num. 61.

5 Reus non est, qui non ex voluntate, sed ex necessitate peccavit; cap. Aliquos 5. & cap. Illa cavenda 6. caus. 15. quest. 1. cum similibus.

6 Reus in suo foro audiendus est, & hunc sequi debet Actor; cap. Si quis 2. & cap. Pulsatus 3. quest. 6. cap. Sane 3. de foro competentis, cum similibus.

7 Si Reus non potest inveniri, sufficit ponere citationem in Ecclesia Rei; cap. Venerabilis 10. de delo & contumacia.

8 Reo convicto de delicto non admittitur probatio negativa; seu Reo probante, quod non deliquit, si probatum sit deliquisse, ei non creditur; cap. Ad nostram 12. de probatione.

9 Reus non potest alium accusare, nisi prius se purget; cap. Neganda 1. cap. Non est credendum 3. & cap. Prius est 4. caus. 3. quest. 11. cum similibus.

10 Reus accusatus, & non sufficienter convictus, damnari non potest, nec poena ordinaria affici; Lugo de Justitia disp. 37. sect. 12. La Croix lib. 4. num. 1496. Lessius, Sanchez, & alii passim; nec indiget probatione, cum de se pateat. Unde Reus accusatus, & non sufficienter convictus, absolvitur a nota infamiae; Conoil. Lateranens. III. in Appendic. part. 50. cap. 65.

11 Reus, si iuste damnatus sit, ut fame, vel siti pereat, potest victum, aut potum oblatum rejicere; Layman lib. 1. tract. 4. cap. 8. num. 9. Lessius de Justitia, lib. 2. cap. 9. num. 24. Gobat in Quin. tract. 5. cap. 1. num. 68. La Croix lib. 3. part. 1. num. 779. & alii contra alios. Et ratio nostra est, quia si sententia sit iusta, non tenetur Reus cibum, & potum oblatum sumere, cum Reus possit executionem iustae sententiae in se admittere, verb. grat. venenum bibere, venam sibi aperire, in ignem se injicere, scalas ascendere, funem collo circumfingere, & hujusmodi, si illa praecipiantur, ut potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut docent Azorius, Sotus, Malderus, Lessius, & alii apud Dianam part. 5. tractat. 4. resol. 47.

12 Falsum est, posse reum oblatum cibum rejicere, licet morti sit damnatus.

13 Ast mea conclusio non dicit generice, licet morti sit damnatus, sed specificice, si iuste damnatus sit, ut fame, vel siti pereat, quod certe non est falsum, ut falso asserit Theologus. Si enim reus damnatus ad aliam mortem, potest ex amore justitiae permittere illius in se executionem, ut potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut tradunt

passim Auctores, & inter alios etiam clarissimus P. Antoine tract. de obligationibus, §. 4. de reo, quest. 2. resp. 5. expresse dicens: Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiae: immo mortem committit licet se iudici ultro sistere, & occasionem justitiae exercendae offerre; & celeberrimus Colet, tom. 3. tract. de Decalogo, cap. 5. art. 1. concl. 2. ubi expresse sic asserit: Quartus casus est, cum quis, ut Deo, & justitiae faciat satis, non arripit media, quibus incolumen se praestet; sic licet ei, qui iuste ad mortem condemnatus est, ea, quae ad mortem praebula sunt, facere; ut 1. se offerre iudici, secundum S. Thomam: 2. Non egredi de carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverrit paratam sibi esse mortem. Et reipsa Martyres non crediti sunt sibi ipsis mortem inferre, cum patentibus portis de carceribus non exierunt. Ecurr igitur non poterit reus iuste damnatus, ut fame, vel siti pereat, victum aut potum sibi oblatum rejicere, ut Deo, & justitiae faciat satis, cum talis ad mortem suam non concurrat active, sed passive tantum se habens, ut justitiae amore eam fortiter tamquam promeritam perferat? Nonne in tali casu potest reus ex zelo & amore justitiae, & ad justam punitionem suorum scelerum se velle conformare iudicis iuste sententiae, fame vel siti pereundo, sicut potest vellem non conservare vitam ex motivo alterius virtutis, verb. grat. pro caritate amicum, & hujusmodi. Videatur ad rem inter alios Roncaglia, tom. 2. tract. 15. quest. 9. Alphonsus de Ligorio, lib. 4. dub. 7. art. 2. num. 283. Sporet, tom. 1. tract. 5. cap. 3. num. 29. & ultra ibi citatos, alii plurimi in sensu meo conclusionis.

14 Reus licite fugit ante, & post sententiam, verb. 12. grat. mortis, vel treremium, aut carceris perpetui. Quilibet enim habet tam magnam Jus ad suam vitam conservandam, ut nulla humana potestate possit praepedi, cum commode conservari potest; nisi bonum publicum aliud postulet; Lessius lib. 2. cap. 51. dub. 5. Busembau lib. 2. cap. 3. dub. 8. La Croix ibid. numer. 1425. & alii passim. Immo regulariter potest Reus licite fugere, quamvis Custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum; Reus enim utitur Jure suo, & nulli facit injuriam; Lessius loc. cit. num. 31. Busemb. & La Croix locis cit. Filiucius tract. 40. num. 274. & alii plures.

15 Reus potest licite saltem in foro conscientiae (praecisa vi, & injuria) Custodes decipere, vincula, & carceres effringere. Cum enim sit illicitus sine, licita debent esse etiam media, quia concessio fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur; cap. Praeterea 5. & cap. Suspicionis 39. de Offic. Delegati, leg. Qui Jurisdicatio 2. ff. de Jurisdic. one; Sic Doctores citati, & alii plures.

16 Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum parietem fugiant alii carcerati, quia ipse utitur Jure suo, & solum per accidens est causa talis damni. Sic citati Doctores, & Bannes, Valer. Reginald. & alii contra alios: Ipse enim non tenetur ex re accepta, neque ex injusta acceptance, cum licite id fecerit utendo jure suo.

17 Nec valet objicere, quod leg. De his 1. ff. de EffraCTORIBUS, & Expilatoribus expresse statuitur graviter puniendos esse illos, qui effraclis carceribus aufugiunt, ibi: "De his, qui effraclis carcere evaserunt, sumendum supplicium Divi Fratres Emilio Tironi rescripserunt. Saturninus etiam probat, eos, qui de carcere eruperunt, sive effraclis foribus, sive conspiratione cum ceteris, qui in eadem custodia erant, capite puniendos." Non valet, inquam, quia, vel id fit, in ex quo ibi Jurisconsultus secutus sit contrariam sententiam, quam defendunt etiam aliqui Theologi, vel ea praesumptione, quod Rei carcerati vim intulerint custodibus; Vel ex quo propter bonum publicum ea poena statuta sit. Filiucius loc. cit. Busemb. & La Croix loc. cit. Tanner. disp. 4. q. 4. dub. 5. & ex aliis multis Merbesius Summ. Christi. tom. 1. quest. 194. concl. 6. Henno som. 2. tract. 2. quest. 5. conclus. 4. Cajetanus, So-

So-

Sotus, Bann. Salon. Azor. citati, & secuti a Silvio in 2. 2. quest. 69. art. 4. quest. 2. ubi sic habet: "Quia reus carcerem effringens iuris, quod habet ad fugiendum, & nulli fecit injuriam, neque enim carceres, neque compedes sunt injuria capaces, ipsis autem injuria ministris nihil, ut supponitur, facit."

18 Qui non sunt ministri iustitiae possunt licite, non solum consilio, sed etiam instrumentis, verb. grat. funibus, lima, & hujusmodi, Reum juvare, ut fugiat, Nota. Nullo modo est licitum, & si quis id faceret, justa poena multaretur. Ast esse licitum ultra Auctores a me allegatos, sustinent doctiss. P. Fulgentius Cuniliat tract. 10. in 7. decalog. precept. de ordine judiciali, num. 10. sic expresse dicens: Respondeo, Cajetanum, Bannes, Salonium, Sylvium, docere non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, & ministrare instrumenta ad illam exequentiam, & dict. clariss. P. Antoine loc. cit. resp. 3. Roncaglia tract. 15. de 8. decalog. precept. cap. 2. quest. 16. resp. 4. & alii passim. Neque per hoc, quod si quis id faceret, poena multaretur, inferitur, quod moraliter peccaret, ut de reo infringente carceres tradunt Antoine, & Cuniliat locis cit. & alii passim, quia leges id vetantes sunt mere poenales, obligantes solummodo in foro fori, & non in foro poli, quia licet suadere alteri finem ipsi licitum, & ad eundem finem media applicare, arg. cit. Juribus supra sub num. 14. Tanner. loc. cit. Henno loc. cit. Lessius loc. cit. num. 40. Turrian. Vasquez, & alii cum Busemb. & La Croix loc. cit. Non possunt tamen licite ipsam juvare ad effringendum carcerem, quia executio ipsa effraclionis est licita soli Reo propter

19 jus vite conservandae. Sic Doctores citati, & alii passim. Dicastillus autem leg. 2. tit. 1. d. 6. num. 88. & alii tenent, quod liceat etiam proximis consanguineis, ut patri, conjugi, fratri Rei, ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia consentitur una cum ipso persona. Et idem licere dicunt illi, qui certissime timet, ne a Reo prodatur, & similiter incarcerationem, quia sic liberando Reum censetur liberare seipsum.

20 Reus emissus ad tempus de carcere, si juravit ad ipsum redire, tenetur stare juramento, si carcer sit justus, etiamsi esset periculum mortis. Suarez, Vasquez, Sanchez, Castropal. Tamburin. Gobat; alique passim cum La Croix lib. 3. part. 1. num. 334. Si autem carcer sit injustus, Vasquez, & alii multi apud Dianam part. 9. tractat. 8. resol. 57. part. 11. tractat. 2. resol. 53. & alii apud Castropal. disp. 2. punct. 4. numer. 14. & apud Sanchez in decalog. lib. 3. cap. 11. num. 26. & 27. negant teneri stare juramento. Immo alii dicunt male, posse etiam fugere, licet juravit se non fugiturum, quia temerarium est se sine causa morti objicere, eo vel maxime, quod status rerum mutatus sit, cum pro illo tempore, quo juravit, non fuerit praesens, & commoda occasio sic mortem fugiendi, & evitandi, quae postea talis est. Suarez vero, Layman, Lessius, Bonac. Gobat. & alii dicunt, tunc teneri non fugere, & etiam redire, si sic juravit, quia juramentum est causa gravissima, ne dicatur temere vitam morti exponere, cum exponat in irreverentiam juramenti facti; Placet tamen limitatio Sanchez loc. cit. n. 34. Castropal. loc. cit. numer. 16. Tambur. lib. 3. §. 5. num. 33. & plurium aliorum, quod scilicet possit fugere, seu non teneatur redire, si quando juravit, non praevit mortem, vel alia gravia pericula, quae postea praevidet, quando est occasio fugiendi, aut non redeundi; Immo Covarr. & alii absolute tenent peccare tunc Reum, si non fugiat, vel si redeat in talia pericula.

21 Reo non licet occidere Ministros justitiae, nec illis vim inferre vulnerando, percutiendo, ut se ab illis liberet, quia non sunt injuri aggressores. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 2. & Communis aliorum.

22 Reus non tenetur veritatem fateri iudici, etiamsi interrogetur sub juramento, quando non servato juris ordine interrogat. Vide verb. Accusatus num. 10.

23 Nota. Si interrogetur juris ordine haud servato, non tenetur verum fateri, haud quaquam dicere falsum.

24 Ast haec est ipsissima mea conclusio, qui insuper ibidem num. 23. seq. assigno modum ad evitandum perjurium in occultanda veritate iudici interroganti, juris ordine non servato.

25 Assignatur convenientis modus ad evitandum perjurium in occultanda veritate iudici non legitimo, seu non servanti juris ordinem. Vide ib. num. 11.

26 Reus teneatur fateri crimen iudici legitimo, & servato juris ordine interroganti, & praecipiente sub juramento de dicenda veritate, maxime loquendo de confessione delictorum non inferentium poenam capitale, & alias similes gravissimas poenas, aliis non excusabitur a peccato mortali, & perjurio. Vide ibid. num. 12. 13. & 14.

27 Loquendo vero de confessione, & manifestatione delictorum inferentium poenam capitale, vel alias gravissimas poenas, sunt duae extremae sententiae. Prima sententia absolute sustinet, teneri semper sub mortali Reum legitime interrogatum fateri veritatem, etiamsi propter talem confessionem esset mortis peccendus, & sine tali confessione haberet fundatam spem mortem evadendi. Vide ib. num. 15. & 16.

28 Secunda sententia sustinet, non teneri Reum fateri suum delictum, si propter illud peccendus sit poena capitalis, vel treremium, aut alia similia, si nullum grave damnum Republicae timeatur, & dicit excusari a perjurio celando veritatem per restrictionem, aut equivocationem externam. Vide ibid. a num. 17. ad 23.

29 Advertendum tamen est, quod tunc Judex non potest a Reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter uti principales examinantur, aliis examen, & acta omnia nulla sunt eo ipso, & irrita, omnique carent contra Reos effectu. Sic novissime statuit Benedictus XIII. in Concilio Romano cit. 13. de Jurisjurando cap. 2. praecisus his verbis: Reprehensibile iudicari non debet, si secundum temporum varietates, uti id necessitas vel utilitas exposcat, constructivum, & leges quandoque varientur humana; ipse enim Deus, & Dominus, aeternus Legifer noster, ex iis, quae veteri in Testamento statuerat, multa postmodum mutavit in novo. Stylum itaque in quibusdam Curis secularibus, & ecclesiasticis, nullo unquam jure praecipuum, inolevisse perpendimus, ut Judices, sive eorum Notarii, aut Scribae, Reos criminali facinore accusatos examinaturi, juramentum ab his praestari jubant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana, sicuti est experientia compertum, nec in Fisci favorem, nec contra Reos ipsos, qui ut plurimum parata a se negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur, adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probetur, immo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulet, ac suadet; hinc est, quod Nos, rationibus utrinque perpenis, & quamplurimum inobtemperans insignium Tribunalium praxi, juramentum ipsum, per Reos sic criminaliter inquisitos, praestandum, consulto, dum uti Principales tantummodo constituantur, tollendum, & submovendum ducimus; prout Sacro etiam approbante Concilio, praesentii hac constitutione omnino tollimus, ac submovimus; nec juramentum hujusmodi ullatenus a Reis eisdem, nisi tamen ut testes quoad alios examinantur, in futurum per quoscumque Judices, & Ministros, sub quovis praetextu, causa, & quaesito colore volumus, exigatur, aliis examen, sive constitutum, & acta omnia nulla sint eo ipso, & irrita, omnique careant contra Reos effectu.

30 Reus, qui crimen semel negavit injuste, & cum juramento, non tenetur illud confiteri post latam sententiam. Vide verb. Accusatus num. 24.

31 Immo probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, donec iterum interrogetur, nisi imminet damnum tertio. Vide ibidem num. 25.

32 Quinimo probabilius est, nec teneri ad se publice retractandum, nec posse ad id obligari a Confessario in articulo mortis, quando, non obstante delicti negatione, Reus convictus est, & damnatus dicitur ad patibulum, vel jam in ipso patibulo moriturus existit. Vide ibid. a num. 26. ad 28.

33

34

35

36

37

38

39

- 31 Teneri sese retractare in notis. ✱
Reus, qui metu, vel vi tormentorum mentis sibi falsum crimen imponit, ob quod sit morte plecendus, tenetur se retractare si tali retractatione impediri possit mors ipsis, vel infamia, aut quodlibet aliorum damnorum, ob quod negare tenebatur: Secus vero si ad hæc nihil prodesset sua retractatio. Vide *ibid.* num. 29.
- 32 In tali casu quid esset Reo consulendum. Vide *ibid.* num. 30.
- 33 Præsumptus Reus ex præsumptione facta à iudice interrogatus non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessio condemnanda esset in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientie non tenetur. Vide *ibid.* à num. 31. ad 42. ubi adducuntur rationes, & exempla, & solvuntur instantiæ.
- 34 Reus interrogatus à iudice, ut sub juramento dicat quantum mercis *verb. grat.* apud se retineat, excusatur à perjurio, etiamsi cum juramento neget partem mercis, ne solvat gabellam evidenter injustam, supposito quod in iis circumstantiis non ininterrogatur legitime. *Ibid.* num. 43.
- 35 Non potest Reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, quia ultra mendacium injuste famam alterius destruit. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 44. in ordine: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.*
- 36 Reus ultimo supplicio afficiendus tenetur sumere Viaticum. Unde dari ei debet tempus, & commoditas sumendi Communionem pro Viatico. *Communis*, per text. in cap. Quæsitum 30. loc. cit. & cap. Fures 31. caus. 13. quest. 2. Hinc ab Episcopis per excommunicationem cogendi sunt iudices, ut permittant communicari ultimo supplicio afficiendos. Sic statuisset S. Pium V. testatur La Croix lib. 6. part. 1. num. 607. Et tali Reo debet dari Viaticum, non solum si una hora post sit occidendus, sed etiam licet statim post sit occidendus. Sic La Croix loc. cit. cum Diana, Pace Jordan, Gobart, Lohner, *ibi. cit.* per text. in cap. Is qui & caus. 26. quest. 6. *ibi:* Et si continuo ore dicitur moriturus, reconciliatur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Postque illi dari Viaticum, quamvis non sit jejunus, nec Judex tenetur differre executionem, ut Reus jejunus communicet. La Croix loc. cit. numer. 607. & alii communiter. Reus associans Sanctissimum Eucharistie Sacramentum, seu ad illud confugiens, gaudet Immunitate Ecclesiæ. Sac. Cong. Immunit. in Beneventana 30. Sept. 1638. lib. 3. Decr. Paulus. fol. 14.
- 37 Reo ultimo supplicio afficiendo non est administranda Unctio Extrema, quia non est infirmus, ut vult textus *Epistolæ Canonice Divi Jacobi* cap. 5. num. 14. *ibi:* *Infirmatur quis in vobis &c.* Sic Communis Doctorum. (*Lit. E. in fin.*)
- 38 Reus an, & quando teneatur, ac possit fateri, seu revelare complicem? Vide *verb.* Complex peccati à num. 10. ad 12.
- 39 Reus capti dicitur in fragranti crimine, quando in ipso actu delinquendi deprehenditur. Ursaya *Instit. crim. lib. 1. tit. 4. num. 35.*
Reus iudice interrogatus in iudicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Benedictus XIV. t. 3. const. 34. *incip.* Paterna Charitas.
- 40 De favore rei in iure, vide Jacobum Gothofr. in *comment. ad Leg. 125. ff. de Regul. Juris.*
(Pro majori parte hic agitur de reo, contra quem iudicium criminale intenditur: circa hoc videatur *lit. A. ex pag. 39. col. 2. ad usque 48. col. 2.* præcipue in *verb.* Accusatus, pag. 43. ubi sufficiens instructio reperitur, ad ea, quæ num. 1. 3. & 6. notantur, vid. *verb.* Actor, Forum, ac Judex, in *addit. hisp. & noviss.* etiamque *tit. 3. p. 3. tit. 3. lib. 2. For. Reg. tit. 2. & 3. lib. 3. Ord. Reg. atque tit. 3. & 4. lib. 4. Recop. Castell.* Ad num. 16. recognosce *leg. ex 12. usque in fin. tit. 29. p. 7.* In prima agitur de penis, quibus sunt puniendi reo-

rum custodes, si eorum fuga verificetur: In secunda exprimitur, quod si omnes aut major pars incisi custodibus, auferunt, postea in carcerem restituti, tamquam veri delicti, ob quod vinculis sunt addicti, patratore plectuntur: si non omnes, seu major pars se in fugam dederint. (Ad rem *lex 7. tit. fin. lib. 8. Recop. & 34. tit. 19. lib. 8. Ord. Reg. D. Anton. Gom. in leg. Tauri 76. num. 12. ac tom. 3. var. cap. 13. num. 10.*) aliter proceditur: In tertia pena signatur ei, qui per violentiam à vinculis detentum rejicit: In quarta animadversio præscribitur in eum, qui carcerem privatum fecerit: hæc actio regie majestatis est privativa: pena capitis proponitur dummodo fecerit, & in eo aliquis custodiatur. His adice *leg. 12. prope fin. tit. 13. lib. 4. For. Reg.* Ad num. 36. vide *verb.* Viaticum. Prout in communi carcerum effractores, occurrentibus circumstantiis attentis, per vias solitas traducti, verberum supplicio afficiuntur.)

RITUS.

- 1 **S**UPRA Ritibus Ecclesiæ, eorumque observantia, nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede. *Benedict. XIV. tom. 2. Constit. 106. incip.* Omnium sollicitudinum §. 14. Ritus Paganorum permittere, seu convertere in ritus, & consuetudines christianæ religionis, inconsulta S. Sede, nemini licet. *Ibid.*
- 2 Conjuges Catholici diversi ritus, unusquisque proprium ritum sequi possunt: Idem constit. 57. *incip.* *Etsi Pastoralis*, §. 7. Coniux Latinus ritum conjugis Græci sequi non potest. Et est contra coniugium Græci sequi potest ritum conjugis Latini. *Ibid.*
- 3 Matrimonia inter conjuges diversi ritus quomodolibet & coram quibus contrahi debeant? Vide supra à *verb.* Matrimonium.
- 4 Ritus Latinus semel à quocumque susceptus deseri amplius non potest: *Ibid.* §. 7. & 8. Dispensatur eum Græcis de præterito Ordinatis ab Episcopis latinis, antimo retinendis. Græcum ritum, ut in hoc permānere valeant. *Ibid.* Et id fiat, requiritur dispensatio Apostolica. *Ibid.* §. 7.
- 5 Ritus Latinus suscipi non intelligitur per Baptismum susceptum à Latinis in casu necessitatis. *Ibid.* constit. 87. *incip.* Demandatum §. 18. Græco Melchitis latino ritu baptizatus de præterito, permittitur electio ritus. *Ibid.* §. 16. Ritus Ecclesiæ Orientalis, qui fidei, & bonis moribus non adversantur, conservandi sunt, & ab omnibus tolerandi. *Ibid.* cit. constit. *Etsi Pastoralis*, §. 9. Ritus Ecclesiæ Orientalis observari debent à Monachis Ruthenis Ordinis S. Basilii. *Ibid.* constit. 98. *incip.* Inter plures, §. 24. Sublata cuilibet dispensandi facultate. *Ibid.*
- 6 Ritus Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui in casu necessitatis Latino ritu baptizati fuerint. *Ibid.* citat. constitutio *Demandatum* §. 18. Ritus Græcus in missis, & divinis officiis observari debet à Græcis Italiæ, & Insularum adjacentium. *Ibid.* cit. constit. *Etsi Pastoralis* §. 9. Functiones solennes latino ritu in Ecclesiis Græcorum fieri prohibentur absque licentia Ordinarii, & viceversa. *Ibid.* §. 9.
- 7 Ritus Græco-Latinus in ecclesia Sanctæ Mariæ del *Grafso* vigens perpetuo servari jubetur. *Ibid.* constit. 81. *incip.* Romana Ecclesia §. 1. & 2. Ritus Græcorum Melchitarum conservari jubentur, & innovationes in illis inducæ reprobantur & annullantur. *Ibid.* cit. constit. *Demandatum* §. 3. A ritu Græco Melchitarum transitus non permittitur ad ritum latinum, inconsulta Sede Apostolica. *Ibid.* §. 15. Item nec ad ritum Maroniticum; *ibid.* §. 12.
- 8 Ritus Malabarici in nuptiis, & matrimoniis, in gestatione *Taly*, & faniculorum ex certo florum numero, croco delibutorum, in fractione fructus coeco, in separatione mulierum menstruatam, & plebeiorum, vulgo *Parræas* in celebratione primæ puellarum purificationis, in lavacris, & abluitionibus, in usu cinerum

- 9 præter modum & tempus ab Ecclesia receptum, & omnia signa superstitionosa sollicitudinum, & prohibentur. *Ibid.* cit. constit. *Omnium sollicitudinum* §. 3. & 14.
- 10 Ritus Sinenses sæpe ad examen fuerunt vocati, & præsertim à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, an. 1645. sub Innocentio X. à Congregatione S. Inquisitionis 1656. sub Alexandro VIII. 1669. sub Clemente IX. ac sub Innocentio XII. quo interim mortuo, Clemens XI. ejus successor reassumpto examine omnium dubiorum coram se anno 1704. confirmavit, & Apostolica auctoritate comprobavit Congregationis responsiones ad omnia, & singula quæstia proposita, quibus ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, mandavitque, præfatas Responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham Commissarium, & in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus, & singulis Missionariis, penis quoque canonicis in refractarios indictis, præciperet.
- 11 Clemens XI. anno 1714. iterum omnia confirmat, & mandat servari decretum editum à Cardinali de Tournon; Rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas. Declarat eo decreto nihil additum vel detractum responsionibus datis anno 1704. Veditur publicari scripta super Partibus Sinensibus absque licentia S. Sedis. Publicata vero prohibet sub penis, & censuris in regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. *Ibid.* Clemens XI. præfatas responsiones edita constitutione *incip.* Ex illa die: confirmat, & præcepto arctissimo sub censuris, & penis mandat ejusdem decreti executionem, de qua Missionarii juramentum præstare jubentur, & donec illud præstiterint, eidem suspenduntur facultates, & juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem statim transmitti, demandata Superioribus Regularibus, cujusvis Ordinis, & instituti, eorum omnium plenissima executione.
- 12 Carolus Ambrosius Mediarbarus Patriarcha Alexandrinus, & in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de latere, vix Sinarum regnum ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere permissiones octo circa Ritus Sinenses, prohibita tamen eorum promulgatione, & versione in linguam Tartaricam, aut Sinaricam, sub pena excommunicationis late sententiæ, quibus permissionibus nihilominus contra expressam auctoritatem Patriarchæ ipsius voluntatem evulgatis per binas suas Pastoralis ab Episcopo Pekinensi mandante universis dioecesis suæ Missionariis, ut observarent, & observari præcipere constitutionem Clementis XI. *incip.* Ex illa die: juxta dictas permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quæ in præcitata constitutione fuerant solemniter interdicta; hinc Clemens XII. anno 1735. binas illas epistolas Apostolice promulgatæ Brevi damnavit, ac reprobavit, commisso interim examine dictarum permissionum Congregationi S. Inquisitionis, auditis Missionariis, aliisque.
- 13 Deinde Benedictus XIV. die 11. Julii 1741. auditis Cardinalibus, & Sacre Inquisitionis Consultoribus examen hujusmodi coram se, & respective per se ipsum absolvit, & declarat permissiones illas nunquam à Sancta Sede approbatas fuisse, immo ejus decisionibus adversari, ac easdem Permissiones reprobat, & annullat, earumque proximam damnat. Quæcumque à Clemente XI. aliter explicari vetat. Præsentium observantiam, & executionem omnibus, & singulis injungit, atque demandat sub gravissimis penis. Missionarios inobedientes in Europam revocari jubet, comminatis in Superiores Ordinum penis, si huic præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint. Præscribit novam juramenti formulam ab omnibus Missionariis omnino observandam, ipsamque tradit in tom. 1. constit. 19. *incip.* Ex quo: in qua plurima ad rem merito observanda.
- 14 Ritibus Sinensibus constitutio, non obstantibus quibuslibet rationibus, aut subterfugiis, observari debet

- 15 ut expresse mandat, ac præcipit idem Benedictus constit. 114. *incip.* Reddite Nobis.
- 16 Sacrorum Rituum Congregatio distinguitur in Generalem, & Ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum Cardinalibus quoque eidem Congregationi adscriptis sunt, omnibusque ipsius Congregationibus Consultoribus, atque in ea agitatur de Servorum Dei viribus, martyrio, aut miraculis recognoscendis, & approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei, atque in hac, præter cetera, agitatur etiam de revisione operum conscriptorum à Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur. *Benedict. XIV. tom. 2. constit. 46. incip.* Postulatum.
- 17 In Congregatione Sacrorum Rituum unus Consultoris locus perpetuo tribuitur Presbyteri Societatis Jesu. *Ibid.* tom. 2. const. 29. *incip.* Constantem.
- 18 Item in eadem Congregatione unus Consultoris locus perpetuo tribuitur Ordini Clericorum Regularium Theatinorum. *Ibid.* tom. 1. constit. 125. *incip.* Insignem.
- 19 Consultores Congregationis Sacrorum Rituum eliguntur à Summo Pontifice ex cœtu Prælatorum Romanæ Curie, & ex Clero Seculari, & Regulari; *Benedict. XIV. de Servorum Dei Beatificat. & Beator. Canonization. lib. 1. cap. 16. num. 13.* Consultores Cong. Sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quodam determinatum officium consequuntur, intelliguntur etiam facti Consultores dictæ Congregationis; Et isti sunt Episcopus Apostolicus Sacrarum, vulgo Sacrista, Protonotarius Congregationis Sacrorum Rituum, Tres antiquiores Rotæ Auditores, Auditor Summi Pontificis, Assessor Sanctissimæ Inquisitionis, Magister Sacri Palatii, Secretarius Congregationis, & Fidei Promotor. *Ibid.*
- 20 Item licet electio Consultorum Regularium ex una potius, quam ex alia familia assumendorum à Summi Pontificis arbitrio dependeat, ex quo tamen electio prædicta fieri consuevit, semper aliquis assumptus est ex familia Patrum Dominicorum, ex familia Minorum Observantium, & ex familia Patrum Societatis Jesu; Præter quos Summus Pontifex Bened. XIII. per suas literas Apostolicas in forma Brevis expeditas die 7. & die 1. Octob. 1725. & die 8. Aug. 1726. statuit perpetuis futuris temporibus unum Consultorem Congregationis Sacrorum Rituum esse assumendum ex familia Minorum S. Francisci Conventualium, alterum ex Congregatione Clericorum Regularium Barnabitarum, & alium ex Ordine Servorum B. M. V. *Ibid.* num. 4.
- 21 Consultores Regulares ex decreto Clementis XII. edito 11. Maii 1733. exceptis personis in dignitate episcopali constitutis, & magistro Sacri Palatii, non possunt interesse Congregationibus, quando agitur de causis Servorum Dei ejusdem Instituti Regularis. *Ibid.* num. 14.
- 22 Consultores Congregationis Sacrorum Rituum non possunt esse Postulatores in quibuscumque causis Beatificationis, & Canonizationis ex citato decreto Clementis XII. 11. Maii 1733. *Ibid.* num. 24.
- 23 Officium Consultorum est. Primo diligenter legere Informationes omnes, summarias, scripturas tum facti, tum juris, animadversiones Fidei Promotoris, responsiones & replicationes, quæ in causis exhibentur. Secundo, tenentur verbales audire Informationes Procuratorum, Advocatorum, & Postulatozum. Tertio, tenentur accedere statutis diebus ad Congregationes quando coguntur & in illis ferre suffragium. Quarto, tenentur inobligabile servare secretum sub pena excommunicationis late sententiæ, à qua absolvi nequeunt nisi à Summo Pontifice, excluso quoque Majori Penitentiaro, præterquam in mortis articulo. Quinto, debent manifestare, an oretus, vel in scriptis sibi fuerint causæ Beatificationum, & Canonizationum commendatæ. Sic expresse *idem cit. cap. 16. num. 15.* ubi n. 16. tradit formulam juramenti ad id ab ipsis præstandi.
- 24 Dicit Consultores, uti non possunt adjuvato alicui

jus familiaris pro studio causarum, nisi id eis à Summo Pontifice concedatur ex gratia, quæ sæpe sæpius ratione veræ indigentia concessa est, ita tamen ut nec iis, nec quotquot aliis, qui uti possunt consimili adjutorio, licitum sit adhibere operam alicujus, qui sit Advocatus, Procurator, aut Postulator. Causarum Beatificationis, & Canonizationis, ex citato decreto Clementis XII. die 11. Maii 1733. edito. Idem *ibid.* num. 18.

42 Consultores possunt Procuratoribus, & Advocatis in verbali informatione proponere difficultates absque timore violandi secretum. Idem *ibid.* num. 19. Debent si absunt à Congregatione, suum suffragium in scriptis transmittere in eadem Sacra Congregatione legendum. Idem *ibid.* num. 21. & rursus in lib. 4. addition. ad cap. 16. *Libri primi ex decreto Clementis XII. edito 7. Septemb. 1735.*

44 Consultores sedent cum suffragium præstant in Congregationibus Antepreparatoria, & Preparatoria; stant autem cum suffragium ferunt in Congregatione Generali coram Summo Pontifice, & postquam omnes suffragati sunt, exeunt ex aula Congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, Cardinalibus Sacra Congregationis, Secretario ejusdem Fidei Promotore, & Magister Cæremoniarum. Idem *ibid.* num. 22.

45 Rituale Romanum illud tantum habendum, quod jussu Pauli V. editum, & ad Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos directum est. Benedic. XIV. const. *incip.* Cum ut recte §. 24.

46 Ritus Orientales non modo convellere nunquam studeant Romani Pontifices, sed tueri, ac servare pro viribus adlaborant. Benedic. XIV. const. *incip.* Allata sunt §. 6. Unde Missionarii relaxare non possunt præscripta ritu Orientalium. Idem *ibid.* §. 3. Ritus enim tam in Latina, quam in Orientali Ecclesia corrigere, permittere, vel interdici Apostolicæ Sedis est; Et proinde Ritus in Ecclesia recepti, ab inferioribus, inconsulta Apostolica Sede, non modo tolli penitus, sed nec ex parte quidem immutari possunt. Idem *ibid.* §. 27.

47 Ritus confusio non inducitur, ex quo Græcus in Latina, vel Latinus in Græca Ecclesia; retento proprio ritu, sacra peragat. Idem *ibid.* §. 33. & 35. Id vero contingeret, si Græcus modò Græco ritu, modò Latino, vel Latinus nunc Latino, nunc Græco ritu, sacra perageret. Idem *ibid.* §. 34.

48 Purificationis præceptum *Levitici* cap. 12. propositum, brevius, longiusque tempus præfinitur, prout mulier masculum, vel feminam enixa esset; Benedic. XIV. const. *incip.* Ex quo primum §. 69. Similis lex viguit quoque primis sæculis in ecclesia, licet jamdiu in Latina abrogata fuerit. Idem *ibid.* §. 70. Voluntarius ideo plane est ritus, hætenus à pauperibus in latina Ecclesia servari solitus, & in Rituali Romano descriptus. Hæc enim benedictio mulieris post partum in Ecclesia latina nullo jure præcipitur, eamque prætermissum mulier minime peccat, nisi forte id ageret per spretum, atque contemptum. Idem *ibid.* §. 70. Ita tamen lex de perpetuo vim coactivi præcepti adhuc obtinet apud Græcos, & exactè custoditur. Idem *ibid.* §. 71. & 72. qui subinde §. 73. licitam ipsius ejusmodi observationem demonstrat. (Vid. *lib. A. pag. 297.*)

RIXA. Vide *verb.* Bellum n. 2. & *verb.* Virtus, n. 86.

ROGATIONES.

SUMMARIUM.

1 Rogationes secundum Sydonium Apollinarem, & alios, fuerunt primò inventæ & institutæ à S. Mamerto Episcopo Viennensi in Delphinatu.

2 Secundum alios S. Leo datus consilio ipsius S. Ma-

- meri jussit, ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis eadem ratione, qua Romæ servabatur.
- 3 Unde quomòs S. Mamertus dicitur Rogationum Auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse Auctorem, quàm Instauratorem, & Reparatorem.
- 4 Rogationes per triduum ante Ascensionem cum jejuniò celebrandas esse olim statuit Concilium Aurelian. I.
- 5 Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejuniandum non est, nisi Mediolani.
- 6 In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto etiam extra eorum litanie Sanctorum.
- 7 Et quidem recitandæ sunt proprio respectivo mane, nec possunt recitari Vesperti pridie statim post Matutinum, & Laudes Officii diei etiam pridie recitari.
- 8 Triduana Rogationes cur ab Ecclesia universalis præcipiantur quotannis celebrari.
- 9 Quædam ad rem, remissive.

ROGATIONES, ut vult Sydonius Apollinaris lib. 5. *Epist.* 14. relat. in *theatro vite humane* tit. 6. *verb.* Rogation. *lib. B.* fuerunt primò inventæ, & institutæ à Sancto Mamerto, seu Mamero Episcopo Viennensi in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dicte civitati videbantur portendi ex horribili, ac sæpius iterato terræ motu, ex ululatibus, atque nimium horrificis vociferationibus, & ex spectris, quæ omnibus ac singulis oppidanis terrorem incutebant ac trepidationem, precibus iracundia divina flecteretur.

Alii autem, quos tacito nomine refert Pontas tom. 3. *verb.* Rogationes, volunt S. Leonem ductum consilio dicti Sancti Mamerti jussisse anno 442. ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis eadem ratione, qua Romæ servabatur, atque eidem annexerit parvarum litaniarum cantus, atque tandem voluisse Sanctum Gregorium Magnum, ut in istis supplicationibus magnæ litanie cantarentur, atque Sacra Effigies Sancti Luca in iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis Urbs Roma opprimebatur. Et revera Sanctus Alcinus Avitus Viennensis Episcopus in Delphinatu, *homilia de Rogationibus*, que extat in tomo tertio Bibliothec. SS. Patrum, ut refertur in *Theatro vite humane* loc. cit. sub *litera B.* S. Casares Arelatensis *serm.* 37. & Sanctus Gregorius Turonensis *lib.* 2. *histor. cap.* 34. testantur, jam labente quoto seculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum, atque solemnium observationum.

Quamvis autem Sanctus Mamertus dicitur Rogationum Auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse Auctorem, quàm Instauratorem, & Reparatorem; hoc enim manifeste patet ex his citatis Sydonii Apollinaris verbis: *Erant quidem prius (quod salva fidei pace dictum sit) vaga, tepentes, frequentesque, utque sic dixerim oscitabunda supplicationes &c.* In his, quas supradictus Summus Sacerdos nobis, & protulit, & contulit, jejuniatur oratur, psallitur, fletur. Ex his Sydonii verbis apparet, inquit Cardinalis Baronius in notis Martyrologii ad 25. Aprilis Sanctum Mamertum Episcopum non tam instituisse, quàm restituisse, & in meliorem formam reduxisse Sacras Rogationes. Sane quidem Sanctus Augustinus, qui tempore præcessit Sanctum Mamertum, de iisdem Rogationibus, quæ præcedunt celebratam Ascensionis Dominicæ, non obscure meminit *serm.* 173. *de tempor. in Vigilia Ascensionis.* tom. 10. pag. 338. *edition. Lovaniensis.* Est ejus exordium hujusmodi: *Seire debemus & intelligere, fratres charissimi, quia dies compunctio-nis, & penitentie celebramus &c.* Circa finem autem sic: *Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de Ecclesia conveni subducatur, sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus jejuniando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritalia non inquiri &c.* Quibus quidem de Sacris Rogationibus verba facere nullum est dubium. Hæc Baronius loc. cit. & Theatrum vite humane, loc. cit. sub *lit. G.*

Non esse Sancti Augustini, sed Sancti Cæsarii Arel-

Arelatensis, animadvertunt Editores Maurini, eum in Appendicem rejicientes sub num. 174. cum in edit. Lovaniensi num. 173.

Rogationes per triduum ante Ascensionem cum jejuniò celebrandas esse olim statuit Concilium Aurelianense 1. tringenta trium Episcoporum anno Christi 511. sub Symmacho Papa, tempore Clodovei I. Francorum Regis Christiani cap. 29. præcis his verbis, quæ referuntur etiam in cap. Rogationes 2. dist. 3. de consecratione, ibi: *Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduum jejuniatum in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur, per quod triduum servi, & ancilla ab opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.*

Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejuniandum non est nisi Mediolani, quia Mediolanenses Quadragesimam incipiunt triduo postquam alii, & alii fideles in illo triduo jejuntur per Rogationibus, quia tempore Paschali non jejuntur; Concil. Mediolanens. 1. p. 2. tit. de jejuniò.

In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto etiam extra Chorum Litanie Sanctorum, quæ non duplicantur, cum suis precibus; *Communiar.* Sunt enim pars officii. Vide *verb.* Litanie num. 16. Et quidem recitandæ sunt proprio respectivo mane, nec possunt recitari vesperti pridie statim post Matutinum, & Laudes officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur à simili de officio defunctorum die Commemorationis omnium fideium defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperti ex decreto Sacra Congregationis Rituum 17. Septembris 1607. Et sic docent Tamburin. in *Decalog. lib.* 2. cap. 5. §. 5. num. 7. Stoz *lib.* 1. p. 3. num. 417. Merati tom. 2. *recl. 6. cap.* 16. num. 5. cum pluribus ibi adductis, & alii. Unde caute legendi sunt Dogmæ contrarium sentientes, ignorantes fortasse prædictum decretum Sacra Congregationis: Tum quia ipsæ Litanie sunt loco assistentiæ ad processionem, quæ assistentia non potest anticipari, sed ipso proprio respectivo die Rogationum observari debet.

Nota. Decretum hoc revocatum fuit ab eadem Sacra Congreg. Rituum alio Decreto in una Ratisponensi 4. Septemb. 1745. Quare nunc licet privatim recitare officium defunctorum die antecedenti Commemorationem omnium Fideium defunctorum.

8 Triduana Rogationes ab universali Ecclesia quotannis celebrari præcipiuntur, ut propitiatur Deus peccatis nostris, & à nobis flagella iræ suæ dignetur avertere, pacem, & aeris salubritatem concedat, ut fructus terræ dare, & conservare dignetur, & omnibus nostris necessitatibus benigne prospiciat, ut constat ex Ordin. Romano, *titul. de Rogationibus*, & confirmant Amalarius *lib.* 1. cap. 37. Gemma *lib.* 3. cap. 139. Casarius Arelatensis *homil.* 37. & alii passim.

Quid circa commemorationem Rogationum, si in diebus hujusmodi officium occurrat primæ classis, puta Titularis, Patroni, vel Dedicationis Ecclesiæ? Vide *verb.* Vigilia.

ROMANUS PONTIFEX.

NOVUS ARTICULUS.

I. Romanus Pontifex Petro in Ecclesiæ regimine succedit. Qui enim mortuo Petro, ejus loco electus est, atque in illius Sede positus ad regendam Christi Ecclesiam, Petro succedit in Ecclesiæ regimine. Romani vero Pontifices isti sunt, qui martyrio sub Nerone coronato Sancto Petro, electi ac positi fuere in ejusdem Petri sede ad pascendas Christi oves. Scio, Calvinum, Franciscum Turretinum, ac nonnullos alios Calvinianos, & Luteranos, eo impudentiæ devenisse, ut negaverint fuisse Petrum Romæ, ac sub Nerone

ibidem passum. At quis non videat, id hæreticorum cerebro fuisse confectum, ut miserimo hoc effugio, invictissima illa argumenta declinent, quæ Romani Pontificis in Ecclesia Christi Primatum demonstrant? Cum enim Romana Petri sedes, martyrium, quod ibidem Petrum subisse asserimus, & quæ hinc sequuntur, res facti sint; sola constanti, atque perpetua Populi Romani traditione publicis monumentis antiquissimis comprobata, extra omnem controversiam ponitur. Nam Romani semper asseruere, fuisse Petrum eorumdem Pastorem, ac Nerone imperante in carceribus primum inclusum, cruci deinde affixum fuisse; & demonstrare semper, ac etiam nunc ostendunt locum carceris, supplicii locum, sepulchrum, sacras eidem Petro in Dei honorem dicatas aedes, sacrice corporis reliquias, ac alia monumenta. Accedunt etiam catalogi omnes Romanorum Pontificum à primis quoque sæculis descripti; omnes enim à Petro initium sumunt. Cum hujusmodi catalogis consentiunt series Romanorum Pontificum, quas exhibuere Tertullianus *lib. de præscriptionibus Hæret. cap.* 32. Cyprianus *Epist.* 55. ad Coraelium Romanum Pontificem, & Sanctus Hieronymus *Epist.* 57. quæ est ad Damascum, atque Augustinus *Epist.* 263. Omnes quoque antiqui ecclesiasticæ historiæ Scriptores idem testantur. Videatur Hege-sippus *lib. de excidio Urbis Hierosolymitanae cap.* 1. & Eusebius *lib.* 2. *hist. eccles. cap.* 24. ubi refert etiam testimonium Dionysii Episcopi Corinthiorum, & Caji, qui circa initium tertii sæculi contra Montanistas scripsit. Quibus si addantur aliorum Patrum testimonia, ac universi orbis christiani fides, quæ semper Romanam Petri cathedram venerat est; facile patet, Calvinum, ejusque Sectatores non nisi per summam impudentiam dubitasse de Romana Sancti Petri cathedra.

II. Itaque Romanus Pontifex sedem tenet à Petro per mortem relictam, ac Petro succedit in Ecclesiæ regimine; idcirco enim electus post Petri mortem successor fuit, ut loco Petri oves Christi pasceret, Ecclesiamque gubernaret. Habet ergo concessam Petro à Christo Domino, pro regenda Ecclesia, potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem. Ecclesia enim Christi perpetuo duratura est, secundum factas à Deo promissiones, ac manserunt post Petri mortem, & supersunt adhuc oves Christi. Collata ergo à Christo Petro potestas pascendi oves Christi, regendique Ecclesiam, in Petri persona etiam ipsius Successoribus concessa fuit; Ergo sicut Petro, ita & ejus Successoribus à Christo Domino tributa potestas, & auctoritas fuit. Id adeo perspicuum est, ut Ecclesiæ naturam consideranti facile pateat. Si enim semper futuræ sunt Christi oves, futuri semper sunt in Ecclesia Pastores, in quibus potestas insit, primis à Christo institutis Pastoribus communicata, cum hæc nec minus illis, ac istis necessaria sit: Is ergo, qui Petro in regenda Ecclesia successit, collatam à Christo Petro potestatem habuit. Quod quidem ex eo quoque luculenter patet, quia hujusmodi auctoritatem, & potestatem semper Ecclesia universa in Petri Successoribus venerata est, ac semper exercuere Romani Pontifices veluti à Christo ipsis collatam. Etenim Sancti Ecclesiæ Patres Sedem Romanam Petri Cathedram vocarunt. Ita Sanctus Cyprianus *Epist.* 52. & 55. ita Optatus Milevitanus *lib.* 2. contra Parmenianum; ita Hieronymus *Epist.* quæ est ad Damascum; ita denique Sanctus Petrus Chrysologus *Epist.* ad Eutiquetum relata in prima parte Concil. Chalcedonensis num. 13. ubi hortatur hæreticum hominem, ut Romano Pontifici paret per hæc verba: *Quia Beatus Petrus in ejus sede, & vivit, & præsidet, & præstat querentibus fidei veritatem.* Hinc Philippus Diaconus Romani Pontificis in Ephesina Synodo Legatus, actione 3. dixit: *Nulli dubium est, quod Sanctus Petrus à Domino Claves regni acceperit, qui ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet;* Et PP. Concilii Chalcedonensis lecta Sancti Leonis Romani Pontificis Epistola unanimitè consensu exclamarunt, *Petrus per Leonem locutus est.* Vide ex his, Lector, quæ fuerint Orientalium fides ann. 431. dum